

De irritabilitate vasorum lymphaticorum ... / [Bernhard Nathanael Gottlob Schreger].

Contributors

Schreger, Dr., 1766-1825.

Publication/Creation

Lipsiae : 'Ex officina Solbrigiana,' 1789.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nxtt43pc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9

14
DE

IRRITABILITATE VASORVM
LYMPHATICORVM.

S C R I P S I T

BERNHARDVS GOTTLÖB SCHREGER

MED. BACC. CIZENSIS.

LIPSIAE, CICICCLXXXIX.

EX OFFICINA SOLBRIGIANA.

ИУДЕЯ СТАТКИ ГИЛ
АЛЛОГРАНМУ

СЕРИЯ
СОВЕТСКАЯ
СОВЕТСКАЯ

V I R O
ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO
IOHANNI EHRENFRIED
POHLIO

MEDICINAE DOCTORI, SERENISSIMI ELECTORIS
SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO, BOTANICES IN
ACADEMIA LIPSIENSIS PROFESSORI, ORDINIS MEDICI
ASSESSORI, SOCIETATIS NATVRAE CVRIO\$ORVM
ET OECONOMICAЕ LIPSIENSIS
SOCIO

M V N V S A R C H I A T R I
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE

PIE GRATVLANTVR

NVPERI QVIDAM EIVS AVDITORES

MENZ, Med. Doct. Longos. TREVTLER, Budiss.
CVNITZ, M. B. Zittau. OHLEMANN, M. B. Dresd.
RICHTER, M. B. Zittau. BRAVNE, Nebran.
WOOST, Leilit. Misn. HAERING, M. B. Varsou.
EYSOLD, M. B. Libst. Misn. PVLVERMACHER, M. D. Vrat.

LONDON MEDICAL SOCIETY OF LONDON

CHURCH STREET, COVENT GARDEN.

1812. VOL. I. NO. 1.
THE MEDICAL JOURNAL
OF THE LONDON MEDICAL SOCIETY.

FOR 1812. PART I. NO. 1.
MARCH 1812.

1812. VOL. I. NO. 2.
THE MEDICAL JOURNAL
OF THE LONDON MEDICAL SOCIETY.

FOR 1812. PART II. NO. 2.
APRIL 1812.

1812. VOL. I. NO. 3.
THE MEDICAL JOURNAL
OF THE LONDON MEDICAL SOCIETY.

FOR 1812. PART III. NO. 3.
MAY 1812.

1812. VOL. I. NO. 4.
THE MEDICAL JOURNAL
OF THE LONDON MEDICAL SOCIETY.

FOR 1812. PART IV. NO. 4.
JUNE 1812.

1812. VOL. I. NO. 5.
THE MEDICAL JOURNAL
OF THE LONDON MEDICAL SOCIETY.

FOR 1812. PART V. NO. 5.
JULY 1812.

1812. VOL. I. NO. 6.
THE MEDICAL JOURNAL
OF THE LONDON MEDICAL SOCIETY.

FOR 1812. PART VI. NO. 6.
AUGUST 1812.

Non secus, testor gemitus et ydas
Vos genas, TE Plissiacis ab oris,
O Pohli, nuper tulimus vocantis
Fata diei.

Nubilum hunc, hunc, Mnemosyne, ferentem
Spes graui fractasque sinu, seueris
Obrutum et curis caput, hunc perenni
Pingē colore!

Perditum ut per tempла Deae suasque
Ambiunt lugere decus per aras,
Heu sacerdotis vacuas amati
Thuribus aras!

Moesta Lucinae en pepla, pallidas en
Vestibus stellas, piceisque Floram
Serta mutantem atque rosas cupressis
Signa doloris!

Quis tuas nos, Pronuba virgo, acerras
Ferre, quis Florae calathos docebit,
Quae sint Parcae rigidae piacis
Arte litandae?

Nunc inaccessas dat opes relictis
Pergamus, frustraque ducem Camoena
TE petunt, apto ad sacra Coa gressu
Ire timentes.

Aurea o quondam studiisque felix
Optimis aetas, Epidauriis qua
Nos TVIS salua auspiciis caterua
Lufimus agris,

Qua fides nil ficta TVA, et serenam
Ambiens frontem bonitas, saluti
Risit et nostrae patrios amores
Aemula cura!

O Pohli, quam plena TVI TVISque
Corda liquisti meritis, nec ullus
Nos dies horum immemores nec vlla
Arguet hora.

Sed noua cui luce iubar coruscas,
Digna quam plaudit TIBI Dresda, plausus
In pios nostrum rapiens sequacem
Illa dolorem!

Sic dies laeto, augurio futuros
Cernere Augusti Pyliamque vitam
Iam licet, tot supplicibus petitam
Vocibus vnam,

Hoc colente, hoc, fidite Saxones pii,
Non fugaci Ruta vigore stabit,
Dulce rerum praesidium sacrificque
Vmbra Camoenis.

Quid relati pro patria triumphi,
Quidue frontis vulneribus decorae
Laurea? — Heu laurus, madet heu cruento
Pompa triumphi!

Dignius ter ilice, dignius ter
Marmore honesto, placida salutem
Arte spesque omnes populique in Vno
Vota tueri,

Hac via amplos Gunziades honores
Carpit, hac TV Saxoniae ferente
Ibis insignis Genio sacrandum
Nomen ad astra.

Surge ter felix! placidos remittens
Coetibus vultus animosque nostris! —
— Sic vago Phoebus beat et remotas
Lumine terras. —

Sicuti de vi, qua sanguinis per orbem circu-
tus dirigitur, multum diuque physiologi
disputarunt, ita, ex quo systema lymphaticum
studiosius exornari coeptum est, quaedam etiam
eorum dissensio ad principem lymphae motus
causam videtur esse delata. — Liceat igitur
in hanc rem paulo diligentius inquirere. —
Et habent quidem ipsi canales lymphatici pro-
prium atque innatum sibi qualemcumque vigo-
rem, quo in propellendo per huius systematis
vniuersitatem humore vtuntur, et alia motus
praefidia extus iis accedunt. Haec autem, in
quibus aestimandis fere solet modus excedi,
ubi consideraueris, talia esse intelliges, quae
licet ad subleuandam lymphae circuitionem
aliquid valeant, tamen, praeter subsidiariam
hanc opem, nihil solidae facultatis ad hanc na-
ture actionem habere videantur. — Etenim,
quod tribuunt arteriarum vicinitati, non vide-
tur magni faciendum, cum constet, hunc fer-
uiri fere vbique in corpore ordinem, ut absor-
bentia vasa venas comites habeant, arteriis
nerui

nerui propiores vagentur ^a). Musculorum autem vasis adiacentium actiones et succussus quis est, qui nesciat saepe diu otari, ut somni tempore, hinc eorum ministerio lymphae motum non adeo iuuari? Quare et in viuo animale inciso, vbi omnis praeli abdominalis vis sublata est, lymphatica intestinorum rite deplentur. Quid? quod tam parum auxiliū afferri putem subuehendae lymphae arteriarum et musculorum motibus, ut saepe infringi et opprimi ^b) iisdem posse videatur. Quod ad valuulas denique attinet, eae, licet ob communem cum ipsis canalibus naturam communem quoque vim ideoque ad protrudendos humores non mediocrem efficaciam habent, vix tamen in omnibus vasī adesse videntur. Non raro enim, ait HALLERVS ^c), vasa lymphatica absque val-
uulis

a) Arteriarum opem in primis demonstrari volunt vicino ductui thoracico aortae situ. Sed nec hic semper ita positus est, ut viam pulsantis arteriae experiatur. Saepe enim dexteriorem aortae locum occupat, multa tela cellulosa interspersa, quod et ego vidi in cane. v. Exp. VII. Neque a pulmonum et thoracis motu lymphae per hunc ductum progressus multum adiumenti habere videtur. Etenim mediastinum posticum, vbi latet canalis, nullam in respiratione mutationem subit, ideoque etiam pulmones in illud spatium non agunt. De crurum diaphragmati, aortae et arteriarum in vniuersum vicinia v. quae disputat Cruikshank in the Anatomy of the absorbing Vessels Lond. 1786. p. 153-155.

b) Quare valuularum copiosiorum subsidia iis vasorum tractibus, qui musculis praerimis agitantur, addita esse, Mourous contendit.

c) v. Elem. Ph. T. I. p. 156 ed. a. MDCCCLVII.

uulis sunt, vt circa pulmonem, in hepatis con-
uexa parte; carent iisdem retia lymphatica; etiam ductus thoracicus absque nodis ^{d)} plerumque apparet. Valuularum omnem apparatum lymphatico piscium systemati denegant ALEX. MONROVS ^{e)}, HEWSONVS ^{f)}, et SHELDONVS ^{g)} omnia animalia sine pulmone viuentia valuulis carere asserit. Caeterum non raro iniquius eas vasorum absorbentium lumen clau-

^{d)} Nisi omnibus careat, certe saepe rariores habet. In ductu enim thoracieo, inquit *Hewsonus*, minus sunt numerosae, quam in systematis ramis; vnde facile posset credi, quo magis a trunco versus extremos ramos progrediamur, eo nos illas frequentiores reperturos esse.

^{e)} cf. *Vergleichung des Baues und der Physiologie der Fische mit dem Baue des Menschen und der übrigen Thiere übersezt v. I. G. Schneider. IV. K. Nur am Ende, inquit, hat das ganze lymphat. System der Fische Klappen, sonst nirgends, V. K. Da bei dem Seeigel sowohl als bei den Fischen keine Klappen in den Lymphgefäßen zu finden sind, so müssen diese wohl mit Muskelfasern versehen seyn, um die Lymphe fortbewegen zu können.*

^{f)} Exp. Inqu. P. II. containing a description of the lymphatic system ed. lat. van de Wynpersse. Traj. ad Rhen. 1783. p. 75.

^{g)} Quae vero pulmonibus aërem hauriunt, hinc quoque testudines, iisdem instrui, v. the History of the absorb. System by I. Sheldon Lond. 1784. p. 28. Idem de testudine marina *Hewson*. I. c. pag. 64. Contra quos Cruikshank I. c. p. 66. nulli omnino vasi lymphatico deesse unquam valuulas contendit, eas autem p. 177. dicit in minoribus ramis non tam accurate vasorum eava occludere, quam in maioribus. Vid. quae attulit Ex. *Ludwigius* in germana Cruiksh. versione p. 61.

claudere notum est, neque adeo sollicitam esse earum custodiam, ut non facile e truncis versus radices propelli mercurius et in ipso viuo corpore lympha possit retroire. Vim tandem lymphae a tergo accedentis commemorant, sed haec non ad liquorem ipsum, sed ad canales eum urgentes omnis pertinet. Quare cum tanta sit horum adiumentorum imbecillitas et inconstantia, alii ad vim tunicarum elasticam ^{b)} prin-

b) Fere unus in recentioribus elasticitatis patronus *Mascagnius* contra irritabilitatem vasorum lymphaticorum differit. Sunt autem haec fere eius argumenta ab experimentis ducta: „Cum aquam calentem seu imbutum colore seu destitutum in vasa sanguinea iniecisem, post 40 mam a morte horam vasa lymphatica humore exsudato repleri ac turgescere deprehendi, ac deinde, liquido vitra propulso paulatim exinaniri atque euaneoscere etc. Porro haec vascula mercurio distenta ac in spiritu vini asservata post aliquot annos per vulnusculum ut mercurio deplerentur curaui. Dum mercurius effluebat, vasa paulatim coarctabantur, ita ut parietes ad se mutuo accederent, idque aequa constanter accidebat, cum aliis substantiis repleta fuerant. In demortuis pariter injectiones coloratae in lymphatica introducuntur ac usque ad glandulas prouehuntur.“ — Quis quaeſo non videt ex his experimentis vim elasticam vasorum lymphaticorum egregie quidem patere, ad irritabilitatem autem refutandam nequaquam ea sufficere? Pertinet enim haec omnis quaestio ad viuum, non ad inanime corpus. Qui ergo possunt adhiberi corpora mortua ad reiiciendam rem, quae non nisi corporibus vita praeditis propria esse solet? Aut recte de quoconque musculo statui potest, eum, quia satis diu post mortem irritabilitatis iacturam fecit, et in viuo animali omni virtute irritabilis carere? Neque, dum haec vasorum lymphaticis tribuitur, elasticitas ipsis negatur; illa vita superstite agit, haec mortua vis est. — Resorptam autem aquam fuisse in priori

principem motus caussam transtulerunt. De cuius quidem efficacia in C.H. quid sit statuendum optime edocebimus, vbi perpenderimus, si de eius actionibus disputatur, non de rebus, quae ad mortuum, sed ad viuum, non ad inanima, sed quae ad corpus anima instructum pertineant, disputari. In vniuersum, qui omnem corporis viui motum a communibus illis materiae facultatibus pendere arbitrati sunt, in eo potissimum errasse videntur, quod cum effecta motus viui ad mechanicas quasdam leges reuocare recte possent, caussas etiam se hoc modo explanasse opinati sint. Hinc, vt hoc vtar, multum

priori illo experimento mirum non est, cum facilis eius fuerit introitus in orificia vasorum a morte patula, eaque accedente quidem aquae calore dilatata. Pergit *Mascagnius*: „cum praeterea nihil in lymphaticorum tunicis assequi potuerim, quod ad fibrarum muscularium genus esset referendum, — ac lymphatica stimulo mechanico percita ne ullam quidem vis contractilis partem exhibeant, ad aliam etc. Nec magni faciendam existimauerim obiectionem, quod ad olei vitrioli attatum vasa lymphatica contrahantur ac celerrime evacuentur. Nam causticum illud acidum corrugat etiam partes a quibus omnis abest suspicio irritabilitatis. Butyrum vero antimonii cum mitius se habeat, quoad corrugandi potestatem, nullam omnino his vasis mutationem inducit teste ipso Hallero.“ — Ad remouendam hanc Auct. obiectionem cf. quae ad Exp. VI. et passim alibi notaui. V. egregii Operis *Mascagniani* p. 27 et 28. — Insignem hydatidum molem, quam elasticitatis testem posuerunt *Wernerus* et *Fellerus* in descr. vasor. fact. et lymph. Fas. I. p. 13 mallem ad summam tunicarum tenacitatem et dilatationis patientiam referre.

tum de muscularum cum vectibus similitudine disputatur, aestimanturque eorum vires densitatis, angulorum, ponderum renitentium etc. ratione. Recte quidem haec omnia disputantur, si ad effecta eorumque modos ac fines species, caussa autem et virium, a quibus haec omnia pendent, natura nullo modo sic declarantur. Certe, si elatere vasis nostris commodi quicquam affertur, id omne in renixu quodam contra nimiam atque immodicam distensionem positum est. Etenim saepe vidi, vbi tanta humoris accumulatio accidebat, ut praeter modum turgeret pars vasorum aliqua, ope elasticitatis eam in tantum coisse, in quantum nimis fuerat extensa, nunquam vero prorsus constrictam esse omni liquore expulso ⁱ⁾). Qui denique contractilitati vasorum lymphaticorum partes has tradere maluerunt, vereor, ne vocabuli tantummodo aliquam nouitatem attulisse, rem vero ipsam plenius explicuisse vlo modo videantur. Quicquid enim effici hac vi sua credunt, ad irritabilitatem vel saepissime ad elasticitatem referendum est ^{k)}.

Vt

i) cf. Expp.

k) Talis enim, quam intelligunt, ab omni virtutis nervosae commercio plane remotam, nihil est nisi elasticitas ne subtilius quidem cogitata sed mutato tantum expressa nomine. Dicunt quidem differre eo contractilitatem ab elasticitate, quod hanc communem cum reliquis in rerum natura corporibus corpus animale habeat, illa vni solido *vivo* insit. At quae cogitari potest vita animalis sine nervis? Ergo cum vim nerveam

Vt autem de elasticitatis et quae fere eadem est, contractilitatis in dirigendis motibus vitalibus infirmitate persuadeamur, qua conditione solidae C. H. partes eaeque viuae motus edant, dispiciendum est. Et primum requiri quidem videtur stimuli vis parti illata, huius deinde aliqua perceptio, quam ipsius partis commotio seu renisus quidam insequitur, qui ad amoliendam rem irritautem spectat. Etenim cum ab ipsius vitae notione sensus notio separari nullo modo possit, facile intelligitur, non posse parti, quae vitae vigorem habet, alieni quicquam inferri, quin eius qualiscunque perceptio, id est, per neruos vitae sensusque illos ministros ad cerebrum sursum facta propagatio sequatur. Quae vbi e parte ob certam quandam structurae proprietatem ad motus peragendos apta, seu, quam dicunt, irritabili, originem traxit, contraria et quasi refluia actione conspicuam eius commotionem efficiet, seu, lacesita pars irritabilitatis signa edet. E quibus patet, omnem vitalem motum esse fere nihil aliud

ueam abesse volunt a contractilitate; quis non videt omnia eius effecta a vi elastica esse repetenda? Quare vix assenserim Cel. Blumenbachio, qui in Inst. Physiologicis nullam vasorum lymphaticis (certe de ductu thoracico diserte id ait p. 342. §. 433.) cum nervis familiaritatem intercedere et in iis solam illam contractilitatem vigere asserit p. 343. Nec praeter antea allatam illam satis ambiguam notam ullam adieciisse Cl. Virum video, qua eadem ab elasticitate satis distinguatur. v. p. 32 et 36-38.

aliud quam perceptionem accotimodato partis naturae modo exsertam atque manifestatam, recteque iudicari, non prius stimuli turbis ad motum inuitari partem viuam, quam harum aliqua perceptio fuerit exorta. Quodsi igitur vasa lymphatica viuis C. H. partibus solidis summo iure adnumerantur, quis non intelligit, omnem eorum in prouehenda lympha contentionem esse vitalem et in irritabili eorundem natura positam differre quam maxime a mechanicis illis elasticitatis motibus, qui nullum omnino sensum, nullam animi societatem adjunctam habent, et in mortuis etiam corporibus peraguntur? Ad demonstrandam autem horum vasorum irritabilitatem quamquam alienus sim ab eorum intemperantia, qui communem hanc qualibuscunque corporis partibus esse, quin ad ipsam telam cellulofam pertinere statuant, vix tamen eandem putem uno talis structurae muscularis seruitio vti, cuius quandam a grandiorum carnium molibus deductam imaginem animo tenemus. Videntur enim vtique huius structurae varii esse modi atque ordines, ad singularum, quibus accedit, partium commoditatem diuersimode concinnati, qui licet externa specie atque figura multum inter se dissident, naturam tamen et vim eandem habent. Etenim ne ipsis quidem muscularis, qui ossibus adhaerent, in uno eodemque corpore tanta est fibrarum conformitas, vt non possint ii varia harum specie facile a se inuicem discerni. Cum quibus si quis comparare velit quicquid carni appa-

apparatus inest ventriculo, intestinis, yesicae; non modo hunc perparum illis similem esse, sed etiam harum partium carnes vel inter se ipsas discrepare inuenient. Quam denique non obscuram huius structurae diuersitatem in variis animalium brutorum generibus *M V X S I V S* annotauit!¹⁾ Quis autem distinguendis et rite definiendis singulis illis modis par erit, quis, qua in re potissimum haec diuersitas cernatur, dispiciet, cum et fibrarum insignis tenuitas et cum partibus concretis confusio id impedit, cumque ne de vniuersa quidem musculi stru-
ctura ab anatomicis satis certi quicquam statui posse videatur?²⁾ Nec raro fieri potest, vt tales fibrae motrices adeo ab exempli sui simili-
tudine recedant, vt suam quandam peculiarem speciem prae se ferant. Quare cum ipsam na-
turam in adornanda fibrarum motricium com-
page minus sibi constarc intelligamus, nimia quadam iudicii severitate vtuntur, qui, cum fa-
bricae muscularis formam ad carneas musculo-
rum fibras accurate expressam in vasis lymphaticis

1) *De carnis musculosae structura.* L. B. 1730.

2) Hinc ambigere ipsum *Albinum* Annot. Acad. Lib. IV. c. VIII. p. 32 et 33. videmus in definiendis illis, quas musculosas vulgo dicunt, arteriarum fibris; neque enim carneis muscularum, neque tendineis similes, nihilo tamen minus irritabiles esse affirmat. Pariter *Cranius* Diss. de vi vitali arteriarum Arg. 1785. de fibris arte-
riarum musculosis differens, eas musculosis analogas appellat.

ticis non videant, vel ideo omnem ab iis irritabilitatem volunt esse remotam. Simili modo cauendum quam maxime est, ne, qua tingi solent pleraque fibrae carneae, rubedini tantam vim tribuamus, ut perpetuam ac constantem musculi notam in ea positam esse arbitremur. Quodsi vero haec ita disputata esse videantur, ut nec fibrae muscularis nomen ad huiuscmodi fibras traduci possit, non repugno, sed demto licet vocabulo rem tamen ipsam saluam stare opinor. Et ne vere quidem haec denominatio nisi ad eas fibras pertinet, quibus tori illi, quos musculos vocant, conflantur; reliquas igitur formae artificio diuersas si motricium, aut musculos analogarum, aut carnearum nomine insigniuerimus, lis quodammodo erit disiuncta. — Accedit et hoc, naturam in ipsa hac varietate, si quidem haec varietas, quae non ad ipsam rem, sed ad eius tantum superficiem spectat, iure dici potest, celebratam illam suam simplicitatem mirifice tueri, qua quos pares sibi effectus edi voluit, ii vt vnius generis instrumentis peragantur, sapienter curauit. Quare extra dubitationem fere positum est, nullas corporis animalis partes, quae aliqua motuum vitalium i. e. eorum, qui vi nerueae subsunt, aequabilitate, promptitudine atque constantiaⁿ) (quae certe in vasis lymphaticis non desiderantur.

ⁿ) His notis satis distingui videntur hi a motibus pariter vitalibus v. c. seroti, cutis, etiam, nisi fallor, ductuum excretiorum, in quibus partibus nec structurae muscu-

derantur) eminent, structura qualicunque irritabili vacare, et quicquid fibrosi insigniori quodam modo ac definito ordine dispositi, licet a vulgari illa muscularis fibrae forma aut rubore abhorreat, in iis deprehenditur, id omne ad eam debere referri.

De neruis horum vasorum separatim non dicerem, nisi esse alios intelligerem, qui omne neruorum commercium vna cum irritabilitate vasis denegent, alios, quorum ea est de irritabilitate opinio, ut, licet non modo hanc, sed et ipsam structuram muscularam vigere in vasis lymphaticis contendant, eadem tamen virtutis neruosae expertia esse arbitrentur. Sed ortus mihi videtur horum error partim ex incredibili illo neruorum contemtu in explicanda irritabilitate; partim ex eo, quod ipsam fibram muscularam a partibus, quae omnem eius natu- ram absoluunt, et extra quas haec nulla est, cogitando separarent et sui generis fibram fingerent, quae illas partes, neruos intelligo et vasa adiunctos quasi comites tantummodo haberet. Si igitur, quod supra afferere stu- duimus aliquique vberius demonstrarunt, recte iudi-

sculosae quicquam, et ne texturae quidem hanc aemulantis aliqua regula apparet. Neque hae aptissimo hoc ad motus peragendos instrumento indigere videbantur, cum ad rariores motus natura eos destinauerit et voluerit nonnullis tantum stimulis respondere. Viget igitur in his telae cellulosa aetio neruorum vi animata nec vacua ipsius animi imperio, seu *viva contractilitas* quaedam, distincta quidem a supra illa dicta. Cuius manifestissimum exemplum in scroto motu videmus.

iudicatur, a neruorum vigore atque integritate non modo repetendam esse omnem irritabilitatem, sed recte cogitari etiam non posse ab interiori medullae neruosae commissione sciunctam fibrae muscularis structuram, non facile assentiemur CRUIKSHANKIO, qui, quanquam stimulis commoueri vasa lymphatica non neget ^o), tamen, cum statuat, ea et post mortem aut ligatis ideoque a cerebri societate diremtis nervis munere suo rite fungi ^p), nullum sibi esse videri virtutis neruosae in horum vasorum actiones imperium, satis declarauit. — At, vt taceam, nec finem vitae, nec ipsa mortis initia certo constitui posse, verendum est, vt illa vis post mor-

^o) Ita enim habet p. 61. Lymphatics and lacteals have coats which are irritable and muscular, et p. 154. the principal force propelling the absorbed fluids is to be attributed to the muscular powers of the absorbent vessels themselves.

^p) Cui assertioni vt fidem adderet Auct. pag. 60. Hunteri experimentum protulit, quo subligatis mesenterii nervis absorbentia vasa intestinalia a fugendis ex eorum cauo liquoribus nihilominus abstinuerunt. Quod idem expertus est Cruiksh. qui iniecto post quinque minuta ab animalis morte vinculo, quae inania reliquerat vasa lactea duabus horis post rediens pellucido fluido turgida reperit. — At scimus, non tantam esse principii vitalis a morte festinationem, quin vel in ipsis calidi sanguinis animalibus, de iis, quibus sanguis friget, ne dicam quidem, per duas horas, imo diutius retineatur. Deinde ipse Cr. ait: partes animalis eo tempore, quo experimentum cepit, nondum fuisse frigidas (the parts were not cold); quamdiu autem calor partibus inharet, tamdiu nondum sufflaminatam esse et ipsam vim vitalem non leuis suspicio oritur.

mortem superstes ad viui animális irritabilitatem recte transferatur; deinde quod dicat vasorum efficaciam facta etiam neruorum deligatione esse superstitem, hoc nihil aliud efficitur, nisi vt intelligatur, medullam nerueam separatim et seiuinctim agentem insita sua facultate vti, quae vinculo non extinguatur consumaturue^{q).} Alio loco, vbi an vasorum lymphaticorum tunicis neruosi aliquid contigerit, disquisitus est, vnum ductum thoracicum paris vagi et intercostalis ramis cingi tantum et circumiri asserit; quid autem haec cingula ad iuandam eius actionem valeant, ipse non intelligit: et profecto ea, cum nonnisi in partium superficie collocata his ipsis minime intertexantur, ad horum structuram non videntur pertinere. Illorum autem mechanico quodam impulsu vasa constringi, ab ipsa neruorum natura penitus abhorret. Neque minus ex Halleri experimentis, in quibus stimulis tum du' illi, tum vasis lymphaticis allatis animali dolores non excitati sunt, interdictam neruorum cum vasis nostris societatem patere, videtur esse arbitratus. Partium autem sensilitatem experimentis in viuis animalibus institutis docere, aut e dolore edito metiri velle, quam fallax et ambigua res sit, multis argumentis facile posset demonstrari, e quibus simul eluceret, viuas corporis partes, licet sensus signa

con-

^{q)} Haec v. in Cel. E. Platneri Diss. de principio vitali p. 24 et 14.

conspicua nulla prae se ferunt, sensu tamen eiusque instrumentis minime carere ^{r)}). Largior quodammodo videtur fuisse Cel. B L V M E N B A C H I V S, qui nonnullis certe systematis absorbentis partibus sensitatem adiudicauit ^{s)}). Ego vero non video, qui fieri possit, ut res, quae eandem ubique naturam habet, non iisdem omnis utatur virtutibus. Etenim quodus corporis animalis instrumentum semper ita est fabractum, ut muneri suo obeundo sufficiat: cum igitur omnem systematis absorbentis universitatem ad eosdem usus natura destinauerit, non potuit non simul quam maxime cauere, ne qua per eius partes dominetur structurae diuersitas, quippe quae omnem tolleret actionis conspirationem atque constantiam. Quodsi igitur haec perpenderimus, nec sensus expertia esse vasa lymphatica, nec ad aliquos tantum horum tractus eum pertinere intelligemus. At, quaerent, qui effici quicquam posse negant, nisi cuius caussam manibus tentent, aut contrectent oculis, cur in expiscandis harum partium neruis anatomici frustra laborent? Haud inepte his respondebitur, eos, cum subtiliter diuisi non rudiorum fasciculorum compage nitantur, longe ultra scalPELLi aut microscopii vim positos.

nec

^{r)} vid. quae hac de re differit Exc. *Hebenstreitius* in physiologicis annotationibus ad librum: *Felix Fontana Beobachtungen und Versuche über die Natur des thierischen Körpers. Leipzig. 1785.*

^{s)} Institut. Phys. p. 168.

nec facile sensus incurrere, et tam intime partibus implicitos esse, vt a reliquis fibris, quibus ipsa harum textura efficitur, non possint discerni^{c)}. Quod idem in arteriis accidit, de quarum sensilitate irritabilitateque nemo vñquam iure dubitabit. Sed videntur illi partium vigorēm e neruorum volumine dijudicare et hanc sibi naturae finxisse legem, vt, quo acriore sensu aut intensiore motu excellat pars, eo grandiores postularet additos sibi neruos. At vero cum singula fila medullaria, quae neruos illos demum conspicuos formant, continuo itinere a cerebri fonte ad fines vsque propagentur, patere videtur, illam ramulorum nerueorum gracilitatem non quadam ipsius materiae medullaris extenuatione contineri^{a)} sed frequentiori tantum filo-

t) Cel. Platnerus in Appendice ad *Anton Fabre Untersuchungen über verschiedene Gegenstände der etc.* Leipzig 1788. p. 609. ita habet: *Ich würde eher annehmen, dass die Lebenskraft nicht allenthalben in der Hülle sichtbarer Nerven erschiene, als dass man einem lebenden Theile im thierischen Körper die Lebenskraft absprechen sollte.* — Fortasse, qui principio vitali materiae electricae naturam tribuunt, statuerent: quemadmodum corpora electrica corporibus non electricis vim suam vicinitate communicant, ita partes corporis animalis neruis destitutas adiacentium neruorum effluuiis animari et ad sua munera apta reddi. — Pertinerent scilicet haec ad hypotheses, quas de efficacibus partium c. a. effluuiis machinatus est *Bordeuus*.

u) Quid? quod *Vicq. d'Azyr* docet puluae plus habere neruum minorem, contra minus maiorem. v. Eius Experim. facta quoad sensilitatem inserta *Memoires de la Soc. Roy. de Medec.* Paris 1779. p. 342 sqq.

filorum medullarium a se inuicem secessu atque separatione. Quae cum ita se habeant, tam aequaliter diffusa est per omnes medullae tractus insita vis, vt, qui maiores trunco*s* inhabitat, non minor eius modus vel ad tenerimos horum ramulos dimanet. Et si formae diuersitas efficaciae quoddam discrimen afferret, profecto neruorum subtilitati plus huius tribendum esset, quam eorundem vastitati, quippe quae multo illa aegrius rerum externarum impulsu commoueri posse videtur. Quodsi autem varios illos vis neruosa*e* gradus ac modos non in se ipsa positos, sed a partium, quibus inhaeret, diuersa indole repetendos esse recte statuitur, facile quisque dabit et hoc, quo subtilius diuisi quoque penitus partis structurae intertexti sunt nerui, eo etiam alacriorem huic vim illam inesse, cum quo^{cunque} irritationis aliquid inciderit, ad promendam eam obuii vbi^{que} nerui facile inuitentur. Ut autem vel vnum sensitatis testimonium afferam, dolores illos commemorabo, qui in inflammatis lymphaticorum vasorum et glandularum intumescentiis excitantur ^{x)}, nisi horum omnem caussam ad cutem incumbentem transferre malis. Verum vel ipsa inflammatio neruorum vim satis declarat, quippe quam sine hac accidere unquam posse, dudum subtiliores pathologi negarunt.

Ob

^{x)} v. *Heteronius* P. II. p. 14. Multa de inflammatis vasis nostris habent *Cruikshankius* et nuperrimus eius interpres *Exc. Ludovicus*.

Ob imminutam sensilitatem HEWSONVS ait glandulas lymphaticas venenis v. c. venereis, variolosis, dum corpus ingressa sunt, non semper affici, et quae alio tempore pessima symptoma produxissent, alio has glandulas sic transferre, ut inflammationem non producant. Plura ad hunc locum infra moncho.

His expositis non incongruum videtur quicquid de tunicis omniue vasorum lymphaticorum structura compertum habemus paucis enarrare. Cum autem magna sit harum tunicarum subtilitas atque teneritudo anatomorum studio vix effici posse videbatur, ut facta rite earum separatione numerus certo definatur. Quare ad NVCKII usque tempora de una tantum eaque omnis organicae fibrae experte tunica mentionem faciunt. NVCKIVM primum esse videmus, qui duas laminas utcunque fibrosas depinxit ^{y)}). Inter omnes autem super SHELDONVS ^{z)} structuram penitus extricasse sibi videtur. Commemorat quidem hic internam tunicam densam, leuem, reticulari substantia mediae annexam, lymphae transfludationem impedientem ^{a)}), valuulas formantem.

Quam

y) Adenogr. p. 42. Tab. XX. XXI.

z) I. c. Chap. II. p. 26.

a) Non adeo densam hanc tunicam esse, ut omnis exsudatio prohibeatur, vulgari quodam experimento cognoui. Repletum enim aqua rubra ductum thoracicum canis et duplice vinculo clausum die post collapsum paulisper reperi, et rubicundo vapore vel per poros inorganicas

Quam iisdem fere verbis describens HEWSO-
NVS ^{b)} similem dicit internae vasorum sangu-
ferorum tunicae, cum qua et comparare solent
anatomici ante NVCKIVM. CRVIKSHAN-
KIVS ^{c)} idem statuere videtur. MASCAG-
NIVS ^{d)} nihil in ea conspexisse se ait, praeter
elementa, quae in membranis, quas lymphatica
componunt, visui se offerunt. Deinde muscu-
larem SHELDONVS habet, fibris diuersis prae-
cipue circularibus conflatam ^e). Talem non
dene-

organicos, vel per vasa lymphatica ipsius ductus (de
lymphaticis lymphaticorum habent *Cruiksh.* p. 57 et
Affalini *Essai medical sur les vaisseaux lymphat.* Turin.
1787.) effuso extus madenten. Quod bis eodem
euentu repetii. — Caeterum ad valuulas paulo tenuio-
rem eam esse obseruaui.

b) I. c. P. II. Ch. II.

c) I. c. p. 61.

d) I. c. p. 26.

e) Eas in primis in ductu thoracico equi manifeste oculis
patere hic idem Auctor testatur. Ibidem fibras annu-
lares conspexit *Heisterus* Eph. N. C. Cent. VI. obs. 2.
Nuckius et *Bergerus* de natur. hum. Vit. 1781. p. 83.
valuulas musculosas pronunciant. *Cruikshank* p. 59.
I have, inquit, sometimes seen fibres in the human
thoracic duct. Nihil dicam de carneis fibris, quas glan-
dulis affinxerunt *Malpighius*, *Mylius* et *Santorinus*. —
Ipse vidisse mihi visus sum in vaccini ductus thoracici
superiore parte, ad methodum *Cruikshankianam* cylin-
dro vitreo intensa atque praeparata qualecunque fibras,
ab intersperso celluloso musco satis dignoscendas, rario-
res et exiliores in valuularum vicinia, nec integre cir-
culares, sed ita dispositas, ut altera in alterius quasi
amplexus rueret et ansae formari viderentur. Postea
vituli et canis ductus per duos dies aqua nitrofa, qua
carni pallidiori rubor quidam solet conciliari, detinui,
sed

denegasse his vasis HALLERVM eius experimeta diserte loquuntur. HEWSONVS quoque eius ope lymphae circulationem promoueri asseruit. A CRVIKSHANKIO fibrofi aliquid admistum visum est, cui quidem licet nescit vtrum fibrarum carnearum nomen tribendum sit, tamen e stimuli impatientia irritabilem vasorum naturam patere declarauit ^{f)}. Nullas omnino fibras conspicere potuit MASCAGNIVS ^{g)}). Tandem externam ille nominat, membranae pleurae aut peritonei similem, quae teste MASCAGNIO innumeris cellulis oleosam substantiam continentibus et subtili vasorum rete ornatis scatet, quod vasa vasorum appellare placuit CRVIKSHANKIO.

Vim autem horum vasorum irritabilem vtcunque cogitatam, qua vel ipsas venas et arterias superare ea dixit, variis experimentis ^{h)} illu-

sed ipsa ductuum exilitas et macerationis vis omnia confuderat, vt nonnisi in uno vituli ductu quaedam fibrarum transuersarum vestigia apparerent. Grandiorum animalium copia denuo mihi non data est. Addo his obseruationem amicissimi Fischeri, Prosectoris in Theatro Anat. Lipsiensi, qui, cum praeterita hyeme hydropticum cadauer incidisset, truncum aliquem lymphaticum lumbarem ad insignem magnitudinem distentum oculo armato perlustrauit, in quo fibrarum circularium apparatus satis distinxit.

f) p. 61.

g) l. c. p. 26.

h) cf. Opp. min. T. I. P. II. p. 378. 379. Exp. 246-251.
et quae differit de vi irritabili vasor. lymphat. p. 165.
§. III.

illustrauit HALLERVS, auctores in eodem labore occupatos afferens IOH. NIC. PECHLINVM, qui in vasis lacteis motum quendam peristalticum vigore suspicatus est, et CAROL. LE NOBLE. — Quaedam etiam de vasorum lacteorum agilitate expertus esse videtur FOELIXⁱ). In lymphaticis et lacteis vasis anseris irritabilitatis testem HEWSONVM habemus^k). Nec omitendi sunt HVNTERVS, CRVIKSHANKIVS, SHELDONVS, qui lymphatica vasa ceruicalia canum, a quibus ut omnem a latere pressionem remoueret, vicinos musculos et vasa seiuinxit, tanta cum vi contrahi vidit^l), ut omnis eorum cauitas penitus occluderetur. DARWINVM quoque quaedam experimenta cepisse legimus^m). His igitur mea qualiacunque experimenta liceat addere, in quibus instituendis qua circumspetione usus sum, ea in recensendis iisdem fide sum versaturus. — Quae si peritis minus satisfaciant, ipsius laboris difficultate quodammodo me excusabunt.

EXP. I.

§. III. El. Ph. T. I. et de vi insita vasis lacteis et ductui thorac. ibid. p. 234. T. VII.

ⁱ) de motu peristaltico intestinorum, in Hall. Fasc. disp. Vol. VII. p. 82.

^k) l. c. p. 12.

^l) l. c. p. 27. not. z.

^m) In Account of the retrograde motions of the absorbent vessels of animal bodies, germanic. vers. in auserl. Abhandl. 6. B. 2 St. p. 341.

EXP. I.

Catuli lacte bene pasti ad quartam fere post pastum horam abdomen incidi et explicatis rite intestinis mesenterii laminas perlustraui. In sinistra eius parte vel acerrime intuenti mihi nihil visum est, in dextra striae variae albæ transuersim supra intestinorum superficiem ad eorum oras sursum properantes apparuerunt. De quibus ut certior fiam, dum in liganda mesenterii radice paulo diutius versor, omnia harum striarum vestigia rursus etuanuere. Incipio conquassare leuiter intestina tenuia et en video processisse liquorem album in quinque circiter vasa, quae satis cito per tres fere pollices ita turgefacta sunt, ut vesicularum speciem prae se ferrent. Dum dissoluere conor laminam mesenterii, ex vulnere vni horum vasorum inficto effluit cito omnis liquor, penitusque euanefecit vasis lactei pars citra vulnus; quae ultra id erat, oleo vitrioli laceffita constringebatur: soluto vinculo rami mesenterio adhuc inuoluti stimulo in nonnullis tantum locis obsequiosi sponte fere oculis se subduxerunt.

EXP. II.

Muri domestico ope siphonis lactis magnam copiam per os inieci, ut abdomen inflari inciperet. Quod ubi hora praeterlapsa satis detumuisset, incidi. Valde tremulum animal conuulsionibus torquebatur. Obtulit se mihi mesenterium elegantis striarum albidae multitudine pictum. Tam viuidam lactei liquoris fugam

fugam expertus sum, ut mox antrorsum, mox, quod notandum est, retrorsum ferretur, prae-
cipue facta aquae calidioris aspersione; tan-
demque omnes hae striae oculos penitus effu-
gerunt. — Ductum thoracicum non inueni. —
Ventriculus et intestina stimulo minus com-
mouenda, muscularum contra voluntariorum
summa irritabilitas.

Muris altera post pastum hora mesente-
rium frustra disquisiui, ne vlo quidem viso vase.

EXP. III.

Canem, cui rari erant in pelle crines, post horam, qua aquam lacte mistam per fauces inieceram, capite exerto in tepido balneo ex aqua succo heliotropii tincta parato per biorium fere retinui. Postea remoui quam citissime partes venae, quae animalibus loco subclauiae est, circumpositas, dupliceque ligaturam huic ita inieci, ut ductus thoracici insertionem me-
diam inter vtramque comprehendi sperare lice-
ret. Abdomine inciso intestinorum volumina multa vi proruperunt ad tactum spiritus nitri perquam irritabilia. Radicem mesenterii deli-
gaui, vidi supra tenuium tunicas varicosa vascula albida migrare, oras deinde intestinorum legere et ad aliquot pollices intra ipsas mesenterii laminas protendi. Multa remotiora ab intestino-
rum oris incipere, inani post se relicta canalis parte, quam iam emensa erant. In his liquor paene immotus stetit: cum ramum reliquis ma-
iorem spir. nitri vexarem, vidi oscillatorii mo-
tus

tus aliquid in eo oriri, quasi multum et anxie
in auertendo hoc stimulo laboraret; quo qui-
dem id affecutus est, ut paululum cederet li-
quor; reliqua vero rami pars radici mesenterii
propior eo magis turgeret; turgida persttit.
Soluto ad radicem vinculo coiit aliquantum
haec, spiritu nitri illito fortius coarctabatur, vt
omne liquidum effunderet. Alia lactea vel ipso
vinculo adhuc injecto, facile sponte euacuabam-
tur. Remotis visceribus in confiniis primae
circiter lumborum vertebrae in oualem satis ma-
gnam ampullam offendit, quam primo intuitu
glandulam aliquam lymphaticam esse putauit.
Sed leuiter contrectatam eam scalPELLi apice ta-
ctui se subducere vidi et ad dimidiam fere par-
tem in se redire. Altius persequutus eius iter
per diaphragma, thorace aperto perueni ad
ipsum ductum thoracicum serpentino modo
ascendentem liquore repletum. Quem vincu-
lis cellulosis satis extricatum cum spiritu nitri
lacefferem, nec vlla contractionis signa apparue-
runt, quod idem accidit admoto vitrioli oleo.
Dum autem in fine eius proxime ad inser-
tionem in venam rescindendo versor, (animal
nulla doloris signa dedit) tam crebrae fere per
omnem eius longitudinem oriuntur commo-
tiones, ut multum liquidi exiret. Postea ab in-
ferioribus denuo repletus idem diuersis in locis
oleo vitrioli manifeste ad se contrahendum in-
uitatus est, aegrius iis in locis, quae antea iam
eodem oleo vexaram. Ramuli nonnulli lym-
phatici inserti a latere ductui thoracico ad
quod-

quoduis stimuli genus hebetes quietuerunt; vidi tamen sponte aliquem effuso in ductum liquore coarctari. In anteriori utroque et posteriori crure sinistro frustra lymphaticis operam dedi; in dextro nonnulla se mihi obtulerunt coerulescente colore tincta prope venam non procul ab ipsius ingressu in peluim ludentia, quae vel ad olei vitrioli tactum torpuerunt, cum quod mirabar, eodem irritata vena manifeste contraheretur. — Dum venae renali sinistram ex improviso quasi spiritum nitri allino, paulo altius canales duos, cui tertius a latere adiungebatur, e cellulosa tela emergentes liquore repleri video, eodem spiritu eos cellulofo textu aliquantum euolutos irrito, duo manifeste constringuntur exonerantes contenta sua in ampullam supra commemoratam, quae iterum iterumque lacesita omnem irritabilitatem deposuisse videbatur. Ortum horum ramorum inuestigaturus cellulofam telam extricare pergo, sed oculos effugerunt. Opinatus autem sum, fuisse haec lymphatica renalia aut ipsa lactea supra venam emulgentem migrantia, quae spiritu nitri allato ad motum excitata fuerant.

EXP. IV.

Postridie canem lacte pari modo nutritum et lauatum examini subieci. Migrantem per mesenterium ramum insigniorem lacte turgidum, deinde in duos ramos diuisum glandulae illi canibus solenni ad radicem mesenterii positiæ

tae inseri oleoque vitrioli obsequiosum esse vidi. Alius ramus arteriam mesenterii transscendens, licet satis valide aliquoties arteria pulsaret, tamen riguit; post huius demum quietem sponte depletus est. Minores alios ramos frustra irritavi. Ductum thoracicum superius ligatum inde a loco insertionis turgidiori persequutus sum; per decursum valde tenuis hic fuit, insulam circiter in medio formans; vinculo venoso soluto coit paululum locus turgidior; accessit ad hunc ab inferiori ductus parte sese constringente noua lymphae vnda, quam hic breui post arctior factus altius sponte promouit. Cum inferiora ductus digito comprimerem, deinde vinculo colligarem, ne denuo humor accederet, coarctatus ille locus remansit, qualemque reliqueram, talem post quatuor horas adhuc esse cognoui. In pectore vidi venae cauae superioris prope cor spontaneas quafdam contractiones; iugularis internae nec agilitatis signa, nec prope eam vasa lymphatica conspexi.

EXP. V.

Feli senectute et inedia diutiori confectae
multum lactis deglutiendum dedi. Quarta fere
post pastum hora abdomen apertum est. Inte-
stinorum sopor lacte adhuc multum turgen-
tium acrioribus stimulis vix excutiebatur.
Aderant quidem in mesenterio quaedam lacte-
orum striae, sed aegerrime processit in iis
lympa, haesit saepe, ut in percurrendis vix

C tribus

tribus pollicibus tertia fere minutae pars con-
sumeretur *).

EXP. VI.

Canis famelici eodem quo ille ad Exp. III.
modo praeparati tribus horis praeterlapsis inie-
cto venae subclaviae vinculo, abdomen incidi:
omnem mesenterii campum vacuum vasis lacteis
reperi. Intestini partem lacte praeprimis tur-
gidam duobus vinculis intercepi, alii parti, post-
quam eam facta incisione faecibus liberaram, spi-
ritum vini rectificatissimum syrupo violarum
tinctum infudi vinculoque duplii occlusi.
Haec violento motu peristaltico agitabatur, ut
variis in eius locis stricturae solito diutius per-
durantes orirentur, locis intermediis praeter
modum turgentibus. Paulo post penitus qui-
euit. Ligatura radici mesenterii iniecta est. In-
terea vesicam vrinariam distentam scalpello rasi,
immota mansit, sed cum aqua calida oblinerem, ea
licet omni diaphragmatis et praeli abdominalis
auxilio destituta veluti per gradus se contrahendo
omne liquidum effudit. Vena cruris dextri po-
sterioris pelle nudati laceffita per totum de-
cursum contractionem non exhibuit; nec vasa
lymphatica quaerentibus nobis oblata sunt; fini-
stri

*) Quam longe haec celeritas ab illa differt, qua vidit
Cruikshankius in cane chylum quatuor pollices intra
vnam horae secundam percurrere. v. *Fortsetzung von
Cruiksh. Zusätzen zu seinen Anmerkungen über die Clas-
sische Methode etc.* in 7 B. 1 St. *Sammlung. auserlesner
Abhandl. zum Gebr. prakt. Aerzte.* Leipzig 1731. p. 12.

stri femoris arteria parua fuit, coarctata, sponte
deinde pulsus rediit liberior. Respexi ad partes
illas intestinales antea dictas et vidi plures ramos
lymphaticos egregie lacte turgentes, quorum
duo, cum eos spiritu vini rectificatissimo praeser-
tim in locis valuulis intersitis irritauimus, mani-
feste constringebantur, ita ut partes irritatae oculi
statim effugerent, et in ulteriores partes lac
transpellerent, quod deinde nullo addito stimulo
sponte celeriter euanescere vidi. Perscrutati nunc
partem intestini spiritu vini repletam, rubicun-
dam valde reperimus, sed vasis lactei vel dili-
gentissime anquirentibus nobis nihil oblatum est.
Ligaui radicem et venam subclaviam. — Auocatus a continuando experimento dum post
quatuor horas redii animal mortuum inueni.
Nihilo tamen minus sternum ablatum est; cor-
dis ventriculus uterque nulli stimulo obediuit;
aqua calente superfusa cordi motus quidam
tremulus et palpitatio exigua sinus anterioris
conspiciebatur; noui motus nulla vi erant ex-
torquendi: musculi omnem irritabilitatem ami-
serant. Nec ductui thoracico adhuc pleno vel
olei vitrioli ope commouendo par fui, nec vlla
diametri mutatio sequuta est, praeter eam, quae
semper fibris acore chemico vexatis accidit, i.e.
quaedam earum crispatio et telae cellulosa am-
beuntis corrugatio *). Superior ductus pars
reli-

*) Non igitur tribuendos esse vasorum lymphaticorum
constrictiones, quae in experimentis obseruantur, me-
chanicae stimuli vi et fibras corruganti naturae, vel
inde patet, quod idem stimulus non idem producat in
mortuo corpore, quod in viuo.

reliquo amplior ab uberiore lympha magis extensa; rescdi illum prope insertionem in venam. Effluente statim e vulnere liquido cum nimiae distensionis caussa tolleretur, resiliit ductus superior pars ope elasticitatis tantum, quantum praeter modum extensa fuerat: simili sed obscuriori modo reliquus omnis canalis quodammodo est collapsus cedente sensim versus vulnus contento liquore: in minorem autem diametrum nec ullius stimuli chemici impetu potui redigere. Neque vero tanta fuit eius coarctatio, vt quod in viuo animale cognoueram, lumen deleretur, sed vt liquoris multum per omnem ductus decursum pelluceret.

EXP. VII.

Experimentum cepi cum cane, quem lacte multo bene nutritum lacte aqua calida diluto per horam fere immerseram. Remoto sterno venae subclaviae vicem gerentis lumen altera manu coarctare, altera finum anteriorem cordis statim post eius contractionem comprimere adstantem quandam iussi: ipse interea venae cavae superiori inferiorique, nec non arteriae pulmonali valde contractae ligaturas iniicio, ne profluente sanguine in disquirendo turbarer; cor resessum ab his vasis ad sinistrum latus remuo. Frustra diu oram dextram aortae descendens oculis legi, vt ductum thoracicum, quem proprius adiacentem hactenus videram, inuenirem; inueni tandem, dum cellulosam caute resoluo ad dimidium fere pollicem dextrorum

ab

ab aorta remotum, multa cellulosa interiecta et eundem obuelante. Butyro antimonii prope diaphragma ipsi admoto e quiete deturbari non passus est; pergo in extricanda textura cellulosa, butyri eiusdem nouo attachu excitatur striatura, quae post breue temporis interuallum rursus aliquantum dilatari videbatur. Ligauit hoc loco ipsum ductum. Nunc et pulmones a partibus adiacentibus liberaui, vt vteriore canalis progressum persequerer, quod eo facilius erat, quo vberiore fluido turgebat. Cultri acie irritauit, butyrum antim. variis in locis adieci, obscurior quaedam oscillatio orta est. Ablato adstantis digito venam subclaviam, et, vt nunc vidi, ipsius ductus finem comprimente, obseruaui in arctius nonnihil spatium redire canalem; oleo vitrioli proxime supra valuulam aliquam irritatus manifeste constrictus est, vt liquidum per sequentem valuulam transpelleretur. Ita motu quodam peristaltico per tres valuularum stationes ad finem ipsius ductus in ampullam oualem extensum peruenit lympha; ibi haesit paululum, impedita sine dubio a valuula ostio ductus chyliferi praefixa; butyro antimonii tacta haec pars constringendo citius se exoneravit. — Abdomen cum incidisse plenum reperi mesenterium vasis lacteis, quae soluto illo ductus chyliferi, quem simul discidi, vinculo, satis cito, sed tardius, quam in recte valente animali sunt depleta; nonnulla ad oleum vitrioli, alia et quidem mesenterii laminis caute soluta vel ad ipsius butyri antim. tactum mobilia

in-

inueni, multa inertia erant. Quaedam expresso suo liquore nouo ab intestinis accedente repleri et eundem iteratis contractionibus propellere vidi. Loca semel chemico stimulo vexata, rursus allatum eundem sensisse non videbantur. Emissum deinde reperi omne liquidum in thoracem. Contractum ipsius ductus rescissi ostium. — Magna fuit intestinorum segnities: venae in abdomen sanguine turgidae, arteriae multae durae et rigidae.

EXP. VIII.

Cani famem diu perpresso lac bibendum dedi, eidemque, ut an in intestinis crassis lymphatici vasibus aliquid expiscarer, viderem, lactis magnam copiam per anum inieci. Cum autem properandum mihi esset, iam post horam unam praeterlapsam cultro eum subieci. Cui meae festinationi tribuo, quod tantum abfuerit, ut in intestinis crassis quicquam deprehenderem, ut vel ipsorum tenuium mesenterium frustra perscrutarer. Nec feliciorem fuisse me fateor in inuestigando ductu thoracico. In vena iugulari sinistra apparuit dilatatio illa et collapsus, respirationi consentanea: eadem olei vitrioli attachu satis ibi contracta est. Varias alias arterias et venas lacesui, partim ad constrictiones pronas, partim inertes.

EXP. IX.

Cani macro lacte pasto et aqua lacte diluto immerso postquam tribus horis peractis venam sub-

subclaviae vicem gerentem dupli vinculo cinxeram, sinistri colli latera pelle denudaui. Dum magis magisque turgentem venam iugularem internam attente intueor, in loco venae cellulosa tela rariori obsito replentur irruente lymphâ quaedam vascula. Extricata caute cellulosa vidi glandulam, cui haec inserebantur et euane-scere simul ipsa haec vasa in venae superficie plexum quodammodo formantia: dum quae excent e glandula disquisitus sum, inferentia illa vasa denuo replentur, quae cum aqua feruida leniter attingerem statim vere constricta sunt; vnum duobus in locis simul contrahi vidi; aliud simplex vbi ad eius diuisionem in duos ramos lympham haerere paululum viderem, admoto eodem stimulo promptissimum ad prouehendam lympham expertus sum. E glandula non adeo parua vnum modo vas conspicuum egrediebatur ad sinistriorem oram venae conuersum, quod, dum penicillum aqua feruida imbutum applicatus eram, sponte oculis se subduxit. Glandula nec pressa nec stimulis chemicis affecta ad promendos plures lymphae riuos mota est; forsan vero his ipsis vexis, quominus proderet, impedita est. Ad venam iugularem dextram lymphatici vasis nihil expiscatus sum, licet corpora quaedam glandulosa ei incumbentia distinguere mihi viderer. Caeterum haec spectaculum illi in Exp. VIII. simile exhibuit. — Ductui thoracico indagando non par fui, vt cogitarem, eum in hoc animali a consueta via deflectentem alibi insertum, et cum nullo vinculo

culo impediebatur, depletum omnem fuisse. Nec in mesenterio conspicuum quicquam erat; ligaturis tamen arctioribus quaedam eius vasa sanguifera circumdedi; post quintam horam rediens ad unam modo ligaturam lympham coaceruatam inueni; soluto vinculo coit non-nihil elasticitate sua, postea immotum riguit multo adhuc liquore repletum; cessit hic paullum antrorsum cum vitrioli oleo canalem pertinaciter vrgerem; incidi postea vas eodem loco, verum non modo nihil liquoris exiit, sed fere in coagulum (a vitrioli forsan vi) conuersum illum reperi; cum citra hunc locum vulnus nouum vase inflixisse, collapsis vase parietibus liquidum fere omne effusum est. — Musculi corporis irritabilitatem omnem exuerant.

EXP. X.

Pauca, quae nunc sum narratus, amicus quidam per literas ad me retulit. Hic e mamma canis feminae grauidae rubia tinctoria per duos menses nutritae anteriore sternoque proxima versus sternum procedere vidit ramos aliquot lymphaticos ad scalPELLi rasuram contractiles. Quo autem ulterius progressi hi sint, non indagauit ad uterum ynice intentus. Post mortem discidisse se ait ductum thoracicum vinculo antea ad venam posito inclusum et vides adeo, ut e superiore eius parte contrario valuulis itinere lympha e vulnere prodiret, et canalis consideret, magis fere, quam inferior pars.

pars. Ad quae ipsa eius verba sunt: „penitus tamen contracta neutra pars mihi videbatur.“

EXP. XI.

Vitulum paulo ante ab vberibus matris distractum mactanti lanioni adstiti. Statim finito sanguinis profluvio abdomen apertum est, sed frustra diu in indagandis vasis mesenterii lymphaticis occupatus fui. Quo patientius stimulos intestina et ventriculus ferebant, eo clariora vitae signa dabant vesica vrinaria, nec non fellea, praesertim haec in collo. Praeprimis autem memorandum est, vreterem sinistrum pinguedine extricatum variis in locis oleo vitrioli leuiter infestatum magis, quam mechanica stimuli vi effici posse videbatur, se contraxisse. — Festinantius interea excisis a lanione pulmonibus cum corde, inueni diu quae situm ductum chyliferum inter aortam et venam aliquam sanguine aliquantum adhuc liuentem paene medium et quidem valde nodosam; disciderat ipsum lanio; discissum locum consideravi. Contracti luminis vix vestigia mihi oblata sunt; stylum ostio immitto nec vi, nec tantum, qui praeter modum distrahendo parietum elaterem delere videbatur: extracto stylo aliquantulum quidem coiit, neque vero tam in arctum spatium, ut ante *). Cor, quod remotum e corpore statim aqua

*) Vix igitur putandum est, supra dictam diametri immisionem soli elasticæ virtuti deberi. Quodsi enim haec huius caussa extitisset, quidni eadem canalem et nunc

aqua calida immissum fuerat, extus irritatum perpetuam inertiam p[ro]ae se tulit; dum intus stylo lacesto, moueri aliquantum coepit.

EXP. XII.

Obtinui ab eodem homine, vt vituli lacte antea bene pasti statim post vulnus ceruici inflatum abdomen aperiret, ne cum omni sanguine omnis vita efflueret. Vasa lactea primum nulla conspexi, sed postquam proxime ad radicem mesenterii vasa nonnulla sanguifera et partes mesenterii ab utroque latere ipsis affines ligaturis complexus eram, post aliquod tempus geniculata vasa albido liquore plena apparere vidi, quae quo propiora erant vinculo, eo magis turgebant. Demo ligaturam unam, deplentur vasa subito ita, vt, quamprimum liquor partem aliquam vasis reliquerat, haec oculis se subduceret, quin eius vestigia ultra superessent. Microscopium, quod admoui, emanante vapore infectum lumen negauit. Ante quam aliud quoddam vinculum resoluo, acubus ad utrumque latus vasis lymphatici p[re]e reliquis grandioris

nunc ad pristinas angustias redegit? — Postea cognoui, de simili re visa *Hesponum* idem iudicasse. P. II. p. 14. ed. lat. „In asino, inquit, cui sanguinem ad mortem usque misi, magis contractae fuerunt arteriae, quam eorum tunicae per solam elasticitatem poterant; nam renum arteriae sine ultra cavitate erant, chordas referentes. Hanc vero contractionem fuisse a vi musculari, apparebat mihi, cum manu distentae patulae manferint, sicuti in mortuis animalibus solent.“

ris mesenterio infixis iter eius caute notaui; detumescit vas sponte; lustratum posthac armato oculo fibrae crassitiem vix aequare id vidi. Aliud vas aequo vinculo praepeditum cum inde ab eo loco, ubi vinculum erat, oleo vitrioli paulo constantius vrgere, lac superatis valuulis retrogredi vidi; discesso autem vinculo solennem viam relegere. Plura ob temporis breuitatem et pinguedinem copiosiorem non obseruaui.

EXP. XIII.

In vaccae corpore disquirendo frustra sum versatus. Recens mactatus bos, quae huc pertineant, fere haec obtulit. Ductum thoracicum e mediastino postico laboriose euolutum ad dimidiam fere partem liquore nonnullo adhuc distentum saepissime oleo vitrioli fortiter irritauit; praeter factam fibrarum crispatiōnē nihil mutatum est: digitis eundem compressi, adeo ut lymphae pars quaedam discederet; sed ad veram contractionē adigere non potui.

EXP. XIV.

Canis admodum vegeti lacte pasti et in aqua succo heliotropii tincta per bihorium fere retenti abdomen inciso vasa iliaca externa tres fere pollices ab exitu e pelvi amplis ligaturis, quae multum telae cellulosaē simul comprehendenter, constringi. Idem feci in radice mesenterii, deinde et in vena subclavia. Perfecto hoc labore femur dextrum pelle denudauit,

daui, at, quod quaerebam, nihil visum est; a
 sinistro femore dum superius pellem caute se-
 paro, offertur vasculum ipsi cuti adhaerens, re-
 scindo, resiliit nonnihil, telae cellulosae immer-
 sum persequor et laetus video esse illud lym-
 phaticum caerulecentem liquore repletum eun-
 do magis magisque crassescens, ipsa vasa iliaca
 transcendens, cum iisdem in peluim properans;
 conspicio simul et alios lymphaticos ramos ean-
 dem fere viam legentes, praecipue ad ligaturam
 turgidos, vesiculari forma facile dignoscendos.
 Soluto vinculo paululum coiere hi rami, maxi-
 me vbi prope vinculum turserant; ibi autem
 oleo vitrioli minus ad contractionem prompti
 fuerunt, quam in reliquis locis, vbi vel ipso
 antim. butyro adeo afficiebantur, ut constricti
 subito omne liquidum breui expellerent. Altius
 persequendis iis non par fui. Ad dextrum crus
 rediens euoluto solertiis textu celluloso ramos
 nonnullos lymphaticos oleo vitrioli facile ad
 constrictionem incitaui, aegrius, vbi prope lig-
 turam magis extensi fuerant. Arteria paene
 sanguine vacua sanguine in eam immisso riguit,
 scalpello rasa duobus locis simul contracta est,
 loco intermedio turgidiori. Vena tumida aliquo-
 ties oleo vitrioli irritata immota manxit, deinde
 sponte sanguinem euacuabat et filamenti instar
 coactabaurt. Multi rami lymphatici in mesen-
 terio oblati sunt, fuga liquoris vinculo praeclusa;
 nec solui vinculum. Segnior intestinorum vi-
 ta. — Reliqui abdomen superinducta ipsi pelle;
 cumque satis vegetum esset animal, operae pre-
 tiuum

tium duxi et ipsum pectus aperire. Cor viuide palpitauit vel ipso oris afflatu excitandum. — Omnes fere mediastini postici latebras frustra excusseram, cum in mentem venit comprimere paulo fortius versus superiora mediastinum, ut, si fieri posset, sursum compellendo liquido turgidiorem, hinc magis conspicuum redderem canalem thoracicum. Nec spes me fefellit, distinxi enim ad quartam circiter dorsi vertebrae duos canaliculos tenues ad sinistrum latus retortos, deinde in unum paulo crassiores truncum confluentes, plenos liquido, sed ad olei vitrioli accessum perparum contractiles, ut nollem inde quicquam colligere. Vi retroprimere liquorem conatus sum, sed effusus est hic per vulnus vel vi adhibita vel iam antea mea imprudentia inflictum. Simul etiam ab inferioribus profluere vidi liquorem, subligatum locum, unde effluxit, persequutus sum usque ad ampullam in abdomine sitam, quam satis repletam inueni; vinculo hoc soluto breui post ampulla constrictoris spontaneae signa dedit. Aorta obriguit. Respiciens ad femur dextrum et mesenterium omne lymphaticum vas evanuisse cognoui. — Vtrum liquor viam quandam vinculo non interceptam inuenierit, an retruplus fuerit in ipsum intestinorum cauum, nescio.

EXP. XV.

Canis valde macilenti sed vegeti eodem modo quo in Exp. XIV. praeparati vasis iliacis in utroque latere ligaturam satis amplam inieci; breui

breui post conspicua reddita sunt plexuum lymphaticorum vestigia: neruum cruralem dextrum a quo sine dubio haec vasa suos ramos sortiuntur, in pelui scalPELLi acie rasI, pressi; conuulsiuos motus validos muscularum adstantis manus femur tenens sensit; agitabatur etiam aliquamdiu reliquum corpus: sed nulla vasorum lymphaticorum commotio vel acerrime intuenti mihi visa est. Dum altera manu vinculum soluo, altera neruum vno ictu discindo, perhorruit quidem animal, sed aperte fateor, nec retardatam, nec incitatiorem fuisse vasorum constrictionem: certe si quid vidisse mihi visus sum, motus aliquantum tardior videbatur: sed huius multae aliae caussae accidere poterant. Nec alia in sinistro latere obseruare mihi licuit, quamuis neruum per gradus quasi dilacerarem, seu discinderem. Nec lactea nec ductus thoracici vestigia aderant. Quem antea e vena caua superiore prope cor incisa per tubulum aurichalceum sanguinem in patellam miseram, linis albidis striatum postea vidi.

EXP. XVI.

Sex intestini tenuis particulas (quaevis IV pollicum fere longa) cum adhaerentibus mesenterii laciniis satis longis e suis corpore excidi; singulas aqua succo heliotropii tincta totas repleui, vinculoque dupli clausas mensae imposui. Die post in harum particularum duabus A et B vidi aliquot vasa lactea humore colorato turgida, police nonnihil longiora supra intesti-

num decurrere; in tribus omnino nihil conspi-
 ciebatur, in vna C ramum ad tres propemodum
 pollices repletum inueni. De diuersitate huius
 phaenomeni cogitans, positam eam esse suspi-
 catus sum in diuerso harum partium situ; parti-
 culae enim A et B cum reliquis illis horizonta-
 liter mensae impositae fuerant, vna haec C forte
 quadam declinior iacuerat innixa limbo ligneo
 reliqua mensa multum elatiori. Quare haec
 ipsa declinuitas liquoris progressum multum iu-
 uasse videbatur quippe qui ipse suo pondere de-
 lapsus erat. De eo vt certior fierem, partes A
 et B filis ita suspendi, vt summae mesenterii la-
 cinia ad perpendiculum mensam attingerent,
 particulam C horizontaliter eidem imposui.
 Altero die reuisens particulas in partibus A et
 B duobus fere pollicibus longius lympham pro-
 cessisse cognoui; ex vnius rami breuioris discis-
 fo fine liquor caeruleus effluxerat, vt mensae
 guttae aliquot inhaererent, eiusdem initium
 transuersim supra intestinum procurrens reple-
 tum adhuc erat, siue is denuo resorptus liquor
 fuerit, siue ab antea hausto residuus. Ramum
 alium non procul ab eius descensu supra inte-
 stini conuexam partem ad mesenterium leui in-
 cisura aperui, effluxit satis cito liquor, cum
 praeceps eius esset supra intestinum iter. Alius
 ramus partis B, quem per mesenterium hori-
 zontaliter mensae impositum decurrentem in-
 cidi, paulatim euacuatus est, nec constringeban-
 tur eius parietes sed collabentes potius sibi ap-
 plicabantur. Microscopio enim lustrato ramo
 pau-

paucam accidisse vidi diametri illius, quem repletus habuerat, diminutionem*). In particulae C ramo antea memorato liquor vix supra dimidium pollicem ulterius processerat. — Videamus igitur in aestimando liquorum post mortem progressu, quem MASCAGNIUS contra irritabilitatem attulit, situs quoque partium rationem esse habendam.

Cuniculi corpus disquisitum nihil obtulit, quod ad hunc locum pertineat. — Neque in gallina perscrutanda felicior fui.

EXP. XVII.

Repetii DARWINI experimentum**). Vesicam vrinariam suillam recentem ita inuersam, ut interior superficies fieret exterior, aqua succo heliotropii tincta usque ad tensionem repleui. Reuisens eam extus valde quidem humore caeruleo madidam inueni, sed vasis lymphatici simul repleti nulla indicia, ne post tres dies quidem.

Haec

*) Cum contra in illo animali (Exp. XII.) cui multa adhuc vita erat, ramum, qui repletus huius suilli crassitatem valde superabat, euacuatum ad fili tenuissimi gracilitatem rediisse viderem.

**) v. l. c. p. 262.

Haec igitur sunt, quae vtrum ad probandum aliqua ex parte rem nostram sufficient, lectores dijudicabunt. Certe inter reliqua passim in superioribus notis allata non leue irritabilitatis argumentum in vasorum lymphaticorum erga stimulos chemicos obsequio positum esse videtur. Ab hoc enim irritamenti genere uti quam maxime abhorret elasticitas, ita eam scimus tensione tantum vel compressione adhibita sese efferre, neque sui praesentiam, nisi mechnica vis adsit, contra quam nitatur, prodere. Nec valde curauerim eorum obiectionem, qui omnem hanc tunicarum constrictiōnē a venenorū chemicorum impetu et corrugandi fibras potestate deriuandam esse arbitrentur. His enim partim Exp. VI, XIII et aliis satis respondum videtur, partim eos refutat ipsa quorundam stimulorum natura, a qua illius atrocitatis suspicio longius abest. Ita enim vel cultri mucronem, spiritum vini, mitiorem aquae calorem et languidiorem butyri antimonii vini in commouendis vasis nostris minime otiata esse comperi, dummodo id curarem, ut satis denudatis iis et telae cellulofae inuolucris exemptis illa accederent. Praeterea licet ex ipsis experimentis intelligimus, pertinacem valde fuisse aliorum vasorum ad quoscunque stimulos hebetudinem, alia laceffita non nisi per singulas partes vigoris signa edidisse, haec tamen omnia cum et in reliquis corporis organis iisque vere irritabilibus usu eueniant

niant ^{a)} , et contraria non pauca experimenta adsint, neutquam sententiam nostram infringunt. Me quidem visa primum hac effectus varietate non infiteor paululum animo fluctuantem in eam paene cogitationem fuisse abreptum, vasa resorbentia passim et per vices irritabilia esse et elastica. Scilicet tunc fere opinabar, non ubique per omnem canalis tractum natu-ram irritabilem dominari, sed ipsis hac praedi-tis spatiis expertes eiusdem plagas intercedere; cum igitur humore suo stimulata fuerit pars quaedam vasorum irritabilis, hanc percepto stimu-lo reagere pellentem humores in partem proxi-mam mere elasticam, quae a fortiter impulsis humoribus distenta nonnisi mechanico renisu ulterius contenta sua promoueat. Sic quicquid humoris subsidiaria quadam partis elasticae opera languidius propellatur, ei vim nouam for-tioremque adiungi irritabilis proximae partis ministerio. Quodsi igitur chemici stimuli vis forte in eum vasorum locum incideret, qui uno elasticitatis beneficio frueretur, non aliter fieri posse arbitrabar, quam ut contractionis signa nulla appareant. Verum antiquai ipse hanc sententiam ad meos magis usus effectam, quam suppeditatam a natura. Neque vero re proprius

con-

^{a)} Id passim me ipsum expertum fuisse ex allatis experi-mentis patet. Plura huius rei exempla v. ap. *Halle-rum* et in *Gualth. Verschuir* Diss. de arteriarum et vena-rum vi irritabili. Groning. 1766.

considerata difficile est, veriores varii huius euentus fontes inuenire. Ut enim irritabilitas non vbique pateat, quadam indagantium culpa videtur accidere, qua satis apto singulis vasis stimuli genere non semper vti iis licet. Etenim cum lymphatici humores, penes quos est irritandi vasa sua facultas, tam variam indolem habeant, vt, quam v. c. cutanea lympha prae se fert, ea redux a visceribus latex careat, hanc ob caussam alia vasa resorbentia aliud stimuli artificium, quo commoueantur, videntur postulare. Sed quis, quae a natura tacite parantur, imitari et assequi arte vnquam poterit? — Sicuti autem qui experimenta haec instituunt, stimuli qualitate non recte adhibita spe sua excidunt, sic eiusdem quoque copia et modus raro videtur ita arte dirigi posse atque definiri, vt ad naturalem quam proxime accedat. Quare ubi stimuli mensura non recte vni fuerimus, vel nimia eius debilitate leuitateque aut pigrius aut plane non excitabitur vasorum irritabilitas, vel immodica acritate atque vehementia ita opprimetur, vt attonita quasi obstupescat. Cum autem intima omnis lymphatici systematis sit conspiratio, facile fieri poterit, vt affecta violentius alia vasis parte stupor hic ad aliam transmigret, quae particeps eius facta posthac et ipsa admotam stimuli viam illudet. Denique interdum etiam temporaria quasi inertia et quidam virtutis vitalis sopor vasis nonnullis incumbere videtur, quo excusso mobilitas reuiuiscit.

Hinc

Hinc quem frustra antea irritauimus vasis locum, eundem postea facile ad motum prouocari videmus. Nec multo infrequentius minori maioriue ipsius animalis sensilitati, variis, quibus ipsum experiundo affligitur, cruciatibus, aliarumque rerum, v. c. aëris, frigoris accessui tanta haec euentus varietas videtur esse tribuenda. Saepe etiam, vt plures caussas omittam, cur non possit vel excitari vel perspici vasorum absorbentium actio, in eo positum esse putauerim, quod vel telae cellulosa spissitudo vasa oboluens stimulos arceat, vel quia ob pelluciditatem suam certi eorundem limites vix possint distingui.

Ne autem his experimentis omnem ad persuadendum vim tribuere videamur, ad alia irritabilitatis argumenta transituri ab analogia quidem ordiamur. Quodsi enim canales in corpore animali positos eosque ad promouenda strenue contenta sua destinatos circumspicimus, hos fere omnes ad id efficiendum irritabilitatis ministerio vti reperimus. Hac facultate instructi in prouehendo sanguine laborant canales arteriosi, nec eius omnis venae expertes sunt iudicandae. Quidni igitur eadem virtute polleant vasa lymphatica, cum ad idem fere officium natura haec destinauerit? — Quod enim pulsu non agitentur, vti arteriae, conceptam de eorum irritabilitate opinionem neutiquam tollit. Posse enim canales, quamquam non mi-

micent, inquilina prouehere, et minorum arteriarum et venarum et ipsius oesophagi exemplo abunde declaratur, cum cuius contractione, si qua cum alia, lymphaticorum vasorum motus optime possunt comparari. Hunc autem quis partium irritabilium numero iure eximet? — Eadem denique vi ventriculus et intestina renituntur.

Neque etiam ipsum resorbtionis negotium, nisi irritabilitati multas in eo partes concedamus, recte satis videtur posse intelligi. Ut enim nihil dicam de ampullis LIEBERKVHNII, quas voluit chylo imbutas spongiarum more hunc in orificio lacteorum exprimere, nec de fuga quadam vacui, quae BOERHAAVIO et, nisi fallor, etiam HEWSONO^{b)} resorbtionis caussa esse videntur, in magis vulgari eorum hypothesi, qui hanc naturae actionem legibus attractionis, quae physicorum tubis capillaribus inest, subiecte studuerunt, consideranda versabor. — Sicuti autem in obeundis fere omnibus negotiis legibus suis regitur oeconomia animalis, ita et in peragenda resorbtione propria sibi iura solet obtinere. Posito autem eo attrahendi modo, quo tubi capillares vtuntur, quis non videt, omnem vitam et efficaciam animalem ab illa na-

^{b)} cf. quae contra hunc monet Cruiksh. in Samml. auserl. Abhandl. 6. B. 4. St. p. 737.

naturae actione prorsus remoueri, et relegari omnino vasa resorbentia ad inanimas mortuasque machinas? Tubi enim capillares subire liquores caua sua patiuntur nulla vel ad retardandum vel ad accelerandum eorum introitum addita sua opera. A qua inertia longissime abesse canales lymphaticos exempla inferius adducenda docebunt. Caeterum quoque ea est illorum tuborum indoles, vt quicquid liquoris ipsis obtruditur, ad id hauriendum, dummodo iis sint immersi, fatali quasi necessitate adigan-
tur; cum contra orificia lymphatica quadam in seligendis ac comparandis sibi humoribus cura atque sagacitate vti videantur, eaque interdum, licet humoribus inhient, a suctione tamen per fatis longum tempus abstineant. Neque minori iure quaeri potest, vnde vasis nostris flexilibus quidem et ad collabendum pronis tam perpetua accedat rigiditas, qua tubuli illi e vitro confecti ad attrahendum apti redduntur? Nam licet ea in villis intestinalibus vi humorum ad circumiecta iis vasa sanguifera adductorum effici posse videatur, reliquis tamen lymphaticorum vasorum radicibus tanta est structurae ab his diuer-
sitas, vt similia tensionis praefidia vix vlla in iis contineantur. Quae porro ad physicam attractionem requiritur pressio suscipiendis liquidis extus illata, haec in cellulis ossium rigidioribus omnino nulla potest cogitari. Resorbtionis tandem quaedam vestigia nec in cadaueribus deesse, nihil aliud est, quam liquores patentia

a morte oricia facile incurrere. Quorū altiorem in his progressum quantum ipse partium situs subleuet vidi Exp. XVI. Quo autem lubentius dederim, ea extincta demum vita in hauriendis humoribus morem tuborum capillarum sequi, eo iniquius videntur agere multi illius attractionis patroni, qui quam superstite vitae vigore ipsis vasorum lymphaticorum truncis tribuunt animalem facultatem, eandem horum initiiis disputando volunt eripere.

Quoniam igitur haec a physicorum decretis repetita sententia inanimaे potius machinae, quam viuo corpori conueniens ad explicandam resorbtionem minime sufficit, quae sit verior et natura animali dignior eius cauſa, restat ut disquiramus. Egregie sane HVNTERVS vasa resorbentia cum animalibus viuis comparauit, eaque pari modo, quo v. c. hirudines victum suum fugendo acquirunt, solidas fluidasque partes recipere asseruit. Nec infelicius insectorum proboscides et innatam ipsis apprehendi facultatem, aut molitiones illas, quibus infantum ora ad lactis suctionem vtuntur, ad declarandam lymphaticorum vasorum resorbtionem attulerunt. Haec enim omnis comparatio, quippe et ipsa a viuis corporibus deducta non modo aptissima est et rei quam maxime accommodata, sed tantam etiam illustrandi vim habere videtur, vt quod a sensibus remotius est naturae negotium eius ope veluti ante oculos omne

omne ponatur. Sicuti autem haec antea dicta instrumenta ad sugendas res oblatas saporem ipsis inditum ducem sequuntur, ita similem quendam grati ingratisque sensum naturales appetitiones et auersationes adiunctas habentem in vasorum nostrorum initiis vigere admodum est probabile et nuper a Cel. PLATNERO subtiliter demonstratum ^{c)}). Ob neruorum autem, quibus hic sensus inest, cum ipsis vasorum fibris intimam consertionem aliter fieri non potest, quam ut varia ipsius sensus affectione etiam hae ad consentaneam motus varietatem impellantur. Quodsi igitur talis est allati humoris natura, quae suavitate sua vasorum fines ad se appetendum inuitet atque alliciat, eo statim dirigetur omnis canarium nitus, ut amico sibi hoc hospite potiantur. Accedente autem molesto et iniucundo stimulo motus illis antea dictis contrarii orientur, et fere tales, quibus gustata vel primis labris nauseosa materia deglutitionis instrumenta agitantur; quo euomendi molimine excitato vasa quicquid taediosi et aduersi ipsis imminet respuant et a se repellant. Videtur etiam interdum accidere, ut stimulo, praeparatis si atrocitatis et violentiae admistum aliquid habet, adeo perturbetur orificiorum vitalis ille vigor,

c) In utroque Programmate: Dubitationes quaedam de imperio cordis in venas, — et; Secretio humorum ex Stahlianae disciplinae principiis illustrata.

vigor, ut spasmodicis constrictionebus vrgenti molestiae se subducere et ita cauere annitantur, ne alieni quicquam vasa introgrediatur.

At vereor, ne opponant, vasa lymphatica ad fugenda varia, quae multum vehementiae et alienam valde naturam habent, mirifico quodam impetu ferri, a quibus, si nonnisi iucunditatem sequerentur, quam maxime abhorrent. — Sed cogitandum vtique est, nihil a natura agi, in quo non aequa exitii ac vitae consilium appareat, eamque, quas vias ad conservandam tuendamque vitae salutem parauit, iisdem ad euertendam et destruendam vitam omnemque machinam vti. Deinde etiam non omnia, quae corpori nocent, a lymphaticis canalibus suscipi putanda sunt, sed neruis, illis vitae custodibus, vim inferendo agere videntur; quo varia miasmata, quo venena illa pertinent, subita virtutis vitalis oppressione necantia. — Praeterea confundi aut hebescere interdum sapor ille orificiis inhabitans videtur, vt nullo habito delectu pari cupiditate ad obuia quaevis ferantur, quandam tantummodo plenitudinem quaerentes. Cui simile aliquid accidere vides in faucibus et in ipso oesophago, qui cum catarrho laborant licet non omnem in promouendis ingestis vim deponunt, horum tamen sensu neutram in partem afficiuntur. Neque minus sententiam hanc illustrare videntur peruersi illi teterimorum et multum nauseae haben-

bentium ciborum appetitus et deglutitiones in variis morbis. Denique etiam orificia materiae paulo diutius vrgenti licet graui et iniucundae ita videntur adsuescere, vt tandem molestiae sensu superato eandem suscipiant. Hinc fortasse variorum venenorū, v. c. rabidi canis, variolosi miasmatis tam diurna est in vulnere mora, priusquam resorbta malos effectus producant. At e contrario fieri etiam posse videtur, vt stimuli consuetudine nimis diu protracta et iterato eius accessu ita obtundantur vasorum orificia, vt posthac omnem eius vim prorsus illudant. Ob talem quandam cum stimulus familiaritatem, quanquam huius rei et alia caussa esse possit, seniores, licet venereum infectiōnem saepius subeant, rarius tamen infici suspicarer. Fortasse humorum inquilinorum admittione aliena ita parantur, vt violentiam quodammodo exuant. Neque a veri similitudine abhorret, in quibusdam hominibus aut aetatisbus quandam vasis resorbentibus idiosyncrasiam insidere, qua stimuli cuiusdam incommunitatem quodammodo ament ac praediligant. Sic corpora iuniorum praeprimis prona et adaptata esse videmus ad fugendum virus variolosum. Haec autem idiosyncrasia vti in aliis peculiari amore sese effert, ita in aliis propria ac iniuncta rei cuiusdam auersatione. In quo exemplum praebere videntur homines, qui licet impura venere saepe fruantur, nunquam tamen per omnem vitam eius damnis molestantur.

Quis

Quis autem denique vñquam accurate definierit, qua vi singulae res varias sensiles viui corporis partes aggrediantur, in quamue partem hae ab illis commoueantur? Sic enim multa, quae os linguamque vehementius affligunt, nisi suavitatis multum, certe nihil incommodi ventriculo et intestinis afferunt; sic qui stimuli cordi commouendo pares sunt, in vesica v. c. vrinaria nihil efficiunt. His ita consideratis non recte videtur concludi, eas substantias, a quibus aliae corporis partes abhorrent, insipidas et inimicas esse orificiis lymphaticis. Quid? quod differre videtur ille ipse sensus gradu et modo in singulis vasis lymphaticis, vt in aliis acrior atque delicatior paucos et suos tantum stimulos appetat, a reliquis moleste afficiatur, in aliis paululum a natura sit obtusior, quo plures stimulos, quos illa aegrius susciperent, impune haec ferre videntur ^{d)}). Ita sensus illius subtilitate

d) Ita etiam, quo simplicioris et, vt ita dicam, imperfectioris structurae animal est, eo hebetior vasis lymphaticis sensus videtur esse, vt quicquid ad ea accedit, promiscue fere sugant. Der Polype, inquit Girtanner in *Abhandlung über die venerische Krankheit Gött.* 1788. p. 240. eine einfache hohle Röhre, saugt von außen Feuchtigkeit aus dem Wasser ein, in dem er lebt, und von innen Nahrungsärt aus den Würmern, welche er verschluckt. Man wende ihn auf einer Stecknadel behutsam um, so dass die innere der Röhre nach außen, und die äussere nach innen gekehrt wird: und er übersteht die Operation nicht nur glücklich, sondern lebt und pflanzt sich nach wie vor fort.

litate v. c. pulmonum vasa lymphatica cutis vasa quodammodo antecellunt.

Neque vero existimandum est, hunc grati ingratique sensum vnis horum vasorum initii contineri, sed per omnem canarium vniuersitatem diffusum late dominari. Hoc enim recte valente regitur, hoc sustinetur omnis irritabilitas et in promouendis liquoribus contentio. Cui vel id solum non leuem fidem facit, quod saepe destructis et abolitis per morbum ramarum lymphaticorum radicibus resorbendi manus ad ipsos superstites ramos transferatur, qui summa alacritate eodem fungantur ^{c)}). Omnis autem huius negotii obscuritas analogiae luce optime illustrabitur. Sicuti enim pharynx, oesophagus et ventriculus ad deglutienda suscipienda alimenta saporis blanditiis impelluntur, et horum auditatem fibrarum suarum intentione quasi exprimunt et ostendunt, ita, ut ingrati saporis aut cuiuscunque alias molestiae caussam excutiant et amoueant, vomitu seu motus inuersione vtuntur. Eadem est lymphaticorum canalium ratio. — Hanc igitur vel fo-

^{c)} cf. *Cruiksh. I. c. p. 114.* Quae res etiam *Hunterum* mouit, ut exulceratas superficies optime resorbentes appellaret. Et communis experientia satis docemur, venena varia et miasmata cutem integrum tardius permeantia, si exulceratae vel vulneratae parti allinantur, longe facilius corpus subire.

solam analogiam ducem sequuti facile persuademur fieri interdum etiam posse, vt inuersis vasorum resorbentium motibus humores in iis contenti retro voltuantur; vnde copiosissimae in locis, e quibus originem ea trahunt, destillationes existant. Qua quidem re DARWINUM ^{f)} ad explicanda plurima phaenomena pathologica non infeliciter usum fuisse, medici norunt, deque retrogrado venarum motu Cel. PLATNERVS nuper egregie verba fecit ^{g).} Neque profecto tam infrequens est humorum in vasis reuersio, quin eam vel in ipsis arteriis et venis accidisse perspexerint HALLERV, VERSCHVIRVS et alii. Quid? quod dubium et anceps lymphae iter ipse expertus sum, subitamque chyli fugam,

quam

f) Quemadmodum Darwino non sine causa saepe obiectum est, multa retrouerso lymphae motui ipsum tribuisse, quae maiori iure ab arteriis aut etiam a venis retromotis repetantur; ita altera ex parte eius sententiae multum roboris accederet, si, quae de denegando venis resorbendi munere Hunterus, Cruiksh. aliquique disputarunt, vterius comprobarentur. Hoc enim posito fieri non posset, vt v. c. a vasis portarum, cum patulis orificiis in intestina non hient, retromeantis materiae morbosae quicquam effunderetur, sed quicquid eius ipsis inhaeret, longiori itinere amoliendum esse eoque peracto tandem per arterias in intestinorum canalem destillare. — Fortasse igitur, quae tardius fiunt eiusmodi destillationes aluinae arteriarum effecta sunt, quae subito accident et recentis materiae notam habent, retrouerso lacteorum motu procurantur.

g) ad Fabre Untersuchungen etc. 582 - 611.

quam vel ligata arctius mesenterii radice in experimento cognouit Cel. BLVMENBACHIVS, eius in cauum intestinalium regressui tribuendam esse arbitratur ^{h)}). In imperfectioris autem huius motus, quem destillationes in caua sequuntur, caufa duplex partim ad solidas, partim ad fluidas partes pertinens accidere videtur. Altera posita est vel in vniuersa quadam virtutis neruosa conturbatione, quae sicuti omnes partium animalium motus confundit, ita etiam ad inuertendum vasorum lymphaticorum motum vim habet; vel in ipsa eiusdem in singulis vasibus perturbatione, eaque a malignitate et nauseosa humorum stimulantium indole exorta ⁱ⁾). Altera, quam et DARWINVS attulit omissa quodammodo illa priori, vel ad neruorum languorem et paralysin, qua prouehendi humoris facultatem vasa amittunt, vel ad ipsam humorum inertiam, imbecillitatem et saporis quasi inanitatem est referenda.

Qui

^{h)} Inst. Phys. p. 341. not.

ⁱ⁾ Quodsi nimia oppletio nauseosi stimuli vim habens canales ad inuertendos motus sollicitat, (quod in ventriculo cibis obruto manifeste videmus) facile explicari potest, cur in illo Blumenbachii experimento omni chyli exitu vinculis praeccluso et accendentibus continuo nouis eius vndis tandem retrogrado molimine ab opplerionis molestia vasa se se liberare annitebantur.

Qui tales retrogradi motus sicuti in canaliculis inanimis et vi mechanica tantum agentibus ne cogitari quidem recte possunt, ita praeterea multa sunt, quae virtutis neruosa in vasa lymphatica imperium diserte doceant. A variis neruosi systematis conditionibus, quae ad singulas hominum aetates pertinent, varium quoque lymphaticorum vigorem pendere experimur ^{k).} Etenim, in quibus insignior neruorum alacritas ad omnes corporis functiones dimanat, infantes laetiori resorbtione lymphaeque motu vtuntur. Postea ubi accedente pubertate robur et omnis vis vitalis denuo quasi incenditur, nouus etiam lymphatico systemati vigor conciliatur. Tunc scrophulas antea obortas naturae fortioris beneficio discuti videamus; et ob auctam tunc resorbtionis vim adolescentes ad recipiendum virus venereum procliuiores videntur. Quin si in contrahenda corporis obesitate languori resorbtionis nonnihil tribuendum est, forsitan omissa illa, quae pubertate fit, corporis commotio ad eunuchorum obe-

^{k)} Consopita quodammodo ad tempus videntur iacere quaedam vasa lymphatica; sic v. c. pulmonum huius generis vasa post natuitatem demum recte viuere dicenda sunt, alia aetate succedente explicantur magis atque ad sua munera aptiora redduntur, v. c. vasa lymph. extremitatum, genitalium, mammarum; multa denique vigent in iunioribus, quae in adultis certe maximam partem evanescunt, v. c. thymi, partim etiam capsularum atrabiliarum.

obesitatem aliquid facit. Quo autem longius procedit aetas, eo magis vna cum neruorum agilitate labefactari videtur lymphaticum systema, ut in senectute admodum hebescat. Hinc forte arthritici decubitus proiectiori aetati magis solennes, hinc senibus scrophulae redeunt, senes vix venere inficiuntur. Neque etiam temperamentorum ratio negligenda est. Ita cholericos, in quibus omnia rapide aguntur, raro pinguefcere videmus, cum contra phlegmatici, quorum aequa sensus hebet ac motus torpent, facile ad obesitatem perueniant, cum inter alia debilitata iis videatur esse vasorum e cellulis adiposis resorbtio¹⁾. Quod quidem non ita dictum velim, quasi omnem pinguedinis caussam ab hoc languore repetam; eum autem vna cum reliquis caussis agere, non in-

con-

1) Videntur dici posse vasa lymphatica, uti nutriendo et destruendo corpori inseruire, ita recte valente eorum vi nimium corporis incrementum et quasi excresciam impedire. — Referri ad superiora illa possunt, quae *Dippelium expertum* fuisse legimus (cf. *Baldingers neues Magazin für Aerzte* 6. B. 6 St.) spiritus vini crebriori destillatione ab herbis aromaticis fortioris rediti usum hominibus prius insignem maciem, diutius autem protractum tantam obesitatem conciliare, ut paene hac suffocentur. In quo explicando non negligendum putauerim, excitata et incensa potus illius spirituosi stimulo vi vitali auctam quoque fuisse vasorum lymphatic. ad obeunda munera sua alacritatem, nimiam autem huius agitationem tandem languorem sequutum esse, aut stimuli ei assuetos neruos tandem eodem non tam fortiter, quam antea commotos esse.

congruum puto. Neque dubitandum est, quin pro sexus diuersitate varia sit resorbtionis vis, sicuti etiam diuersum diei tempus multum discriminis ei affert. Ita matutinum tempus, in quo neruorum vigor eminet, resorbtioni maxime fauet, ideoque id ipsum ad inunctiones mercurii praeprimis opportunum eligendum esse suadent medici ^{m)}. Per somnum vti omnium partium moderatior est actio, ita et lymphaticis vasibus placidus quidam sopor videtur incumbere, quod, nisi fallor, inter alia declarat faciei et reliquarum partium leuis intumescientia somni tempore exorta. Porro etiam experientia docet, potu inebriatos citius venere infici ob magis vegetam aucta vi vitali resorbtionem ⁿ⁾. Contrario modo post morbos conuulsuos, quibus neruorum vigor quam maxime opprimitur, hydrops, oedemata pedum oriuntur, quae saepe roborantibus remediiis curantur. Hypochondriaci aut hystericae feminae non raro hydrope afficiuntur. Sed vti

^{m)} *Cirillo Osseruazioni pratiche intorno alla lue venerea*, Napoli 1783. p. 143. vespertinum tempus post perastam atque absolutam concoctionem inunctionibus convenientissimum esse putat: huic contrarias osseruaciones affert *Cruiksh. v. Samml. auserl. Abh. zum Gebr. etc.* 7. B. 1. St. p. 18. Mane venereum virus facilis communicari *Girtanner* l. c. p. 64.

ⁿ⁾ cf. *Girtanner* l. c. p. 63.

vti videmus suppressa aut labefactata vi neruosa hunc morbum procreari, ita et excitata aucta-que eundem nouimus curari. A diutiori moe-
rore orti hydropis subita laetitia curati exem-
plum affert FABRE ^o). Hydropses ira sanatos alii auctores commemorant. Sub epilepticis insultibus aucta per neruorum commotiones resorbtione oedematosos pedum tumores solutos esse, obseruatum legimus. Huc etiam podagrcae materiae resorbtiones, et recessus lactis e mammis subita ira exorti pertinere vi-
dentur. Cum igitur ex allatis exemplis animi et neruorum vis in vasorum lymphaticorum ministerium luculentius pateat, sequitur omnem eorundem motum eo minus ad elasticitatis effecta posse referri, quo magis constat, hanc nonnisi stimulis corporeis iisdemque ipsi parti proxime applicatis ad agendum impelli.

Non leue tandem vigoris horum vasorum vitalis argumentum repeti potest ab ipsa reme-
diorum natura, quae variis systematis lymphati-
ci morbis solent opponi ^p). Sic quae in ob-
structis vasis et glandulis adhibentur, resoluen-
tium actio in eo cernitur, vt moleculis suis ad
commouendum et excitandum aptis vim ner-
uorum ita euehant, vt haec viuidiores vasorum
motus

^o) l. c. p. 233.

^p) cf. Cruiksh. l. c. p. 13. sqq.

motus et fortiorum in protrudendis impactis
 humoribus contentionem producat. Nonne
 eodem consilio emetica, roborantia v. c. in
 hydrope, aut mercurius in hydrocephalo inter-
 no proponuntur? Quin emesin spontaneam
 a natura ad augendam sustinendamque in
 hoc morbo resorbtionem excitari videmus.
 Nec inauditi aliquid est, excitato artis ope
 vomitu pus abscessui inclusum satis cito remo-
 tum esse. Quod idem vomitus vehementio-
 ris a nauseosa idea exorti beneficio accidisse,
 ipsem et exemplo edocetus sum. Quibusdam
 remediis vasa motu eorum inuerso excitato
 molestiis exonerari non est vero absimile. In
 quorum numero sunt purgantia, etiam emetica.
 Ita autem agere videntur et haec, et alia, vt
 dum in aliis vasorum tractibus resorbtione
 suppressa motum inuertunt, in aliis resorbendi
 et sese recte mouendi vim augeant. Neque
 vero id in vnis lymphaticis accidit; non raro
 enim et alibi in corpore ab uno eodemque
 stimulo contrarii motus nascuntur, vt in cho-
 lera vomitus aliquique profluuum. Emetica
 etiam aluum vt plurimum simul soluunt. —
 Aliorum efficacia eo redire videtur, vt con-
 trarium morbofo stimulo stimulum vasis affe-
 rant. In quibus vel vnius mercurii ad euer-
 tendum virus venereum vtilitatem nominasse
 sufficiat, cuius in irritandis vasis vis ex aucta
 per eius usum pulsus celeritate satis appareat.
 Pari modo cum frictionem arteriis et venis
 stimu-

stimulum quendam adiicere videamus, quo sanguinis circuitus multum acceleratur, eius ope idem in vasis lymphaticis effici tumores oedematosi pedum fricando soluti probabile reddunt. Quare et ipsa frictionis strenuitate et alacritate mercurii vim augendam et duplicandam esse non male chirurgi praeципiunt.
